



Index Librorvm Prohibitorvm Alexandri VII

Alexander

Romae, 1667

Admonitio Ad Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81440](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81440)



ADMONITIO

AD

LECTOREM.



HANC Librorum Prohibitorum collectionem eo demum adiecto Indice locupletamus, qui Tridentinus nuncupatur. Quam nomenclaturam ideo sortitus est, quia à Tridentina Synodo per Patres ad hoc munus electos confectus, iubente Pio IV. primum editus; deinde à Sixto V. auctus, Clementis VIII. auctoritate promulgatus fuit. Cum enim in Superioribus Indicibus, sæpè Lector remittatur ad primam, vel alteram Classem certorum, sive incertorum Auctorum, quorum cognitio, non nisi ab hoc Indice haberi potest, operæ pretium fuit hunc alijs adijcere, ut quidquid notitiæ huiusmodi Librorum deseruit, sub uno quasi aspectu conspici possit. Damus etiam ea de causa Summorum Pontificum Bullas, quibus summus Pius IV. & Sixti Indicem Clemens VIII. approbarunt. Tum sequitur præfatio, quam Franciscus Forerius Ord. Prædic. Vir solidè doctus, & eruditus; ac Tridentinæ deputationi à Secretis, Indici Tridentino præfixit. Ex qua discet quispiam, quid nominis Classium, certorum, & incertorum Auctorum, quidve appendicam intelligatur. Quæ verò, vel qualis fuerit prænominata deputatio Tridentina, quia ad rem nostram pertinet, paucis aperiam. Sacra illa, & OEcumenica Synodus solerter aduertens quantum noceat Christi fidelibus Librorum malorum lectio, plures Episcopos doctrinæ, & pietate conspicuos deputavit, quorum cura, & studio, adhibitis item nonnullis Doctoribus, omnium Librorum damnatæ lectionis Index accuratè conficeretur. Et hæc dicta est deputatio Tridentina, cui, ut dixi, à Secretis fuit Franciscus Forerius, quem cum laude commemorat in Apparatu sacro Possévinus. Hanc postea deputationem in Indicis Congregationem Pius V. erexit, Secretario eidem assignato Antonio Possio, ad quod munus deinceps, Summi Pontifices Viros ex Ord. Prædic. assumpserunt. Unde sequentes ex eadem familia nusquam interrupta serie, usque ad præsentem diem numerantur. Ioannes Baptista Lancius Regiensis ad Sacri Palatii Magisterium postea electus; Vincentius Bonardus, postmodum eiusdem Sac. Palatii Apostolici Magister, ac demum Episcopus Hieracensis, cuius honorabilem mentionem facit Barónius anno Christi 58. Paulus Picus de Burgo S. Sepulchri, post Episcopus Vulturariensis; Thomas Pallavicinus Bononiensis; Franciscus Magdalenus Capiferreus Romanus; Io. Baptista de Marinis, nunc Ordinis Magister Generalis; Raymundus Capisuccus Romanus, nunc Magister Sac. Palatii; Hyacinthus Libellus Typhernas.